

6.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
EXHIBENS
CASUM
ÆGRI
OPHTHALMIA
LABORANTIS,

Quam,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
PRINCIPE PORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, ET RELIQA,

PRÆSIDE
FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,
PRO DOCTORIS GRADU
publice defendet

JOACHIM. FRIDER. WIEDEBURG,

Berol. March.

AUTOR ET RESPONDENS

Ad diem Maji An. M DCCXVII.
H. L. Q. C.

SOTUA HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

DOMINO
DN. BALTHASARI RE-
CHENBERGIO,
PHARMACOPOEO CELEBRI,
PATRI MEO ÆTERNUM DEVENERANDO,

NEC NON

DOMINO
DN. GEORGIO CAROLO
RECHENBERGIO,
PHARMACOPOEO APUD STARGARDENSES
FAMIGERABILI,
PATRUO, AC AFFINI MAXIME COLENDO,

Dissertationem hancce sacram

esse jubet

AUTOR.



J. J.
LECTOR BENEVOLE



Nter sensus externos visum primatum obtinere, nemo erit, qui facile contradicet, si modo animo solerti volvat, ac pensitet, summam ejusdem necessitatem, ac utilitatem, simul intimius perlustret hæc duo lumina a sapientissimo creatore non solum ornamenti causa homini concessa, sed & ab actionibus humanis externis & internis, præfertim motu locali, plane inseparabilia. Quot enim calamitatibus ac incommodis non esset obnoxius, ac quomodo vitæ suæ genus instituere vellet, cum quasi in tenebris involutus miserrime, tanquam in obscurissimo carcere, vitam degere deberet, si hisce destitueretur. In majorem vero admirationem abripimur, si harum partium nobilem intuemur structuram, earundemque diversum situm ac varietatem perlustramus. Mirabilis enim oculorum constructio ac fabrica, si penitus consideretur, certe immensa summi Dei sapientia neminem non in admirationem & stuporem abripiet, utpote, qui in his organis condendis tanto ex-

A 2

cellen-

cellentius artificium adhibuit , quanto visus reliquos
 sensus externos nobilitate, præstantia ac dignitate ante-
 cellere debuit. Cum vero structura eorundem subtilis-
 sima sit, facillimo negotio, tam a causis internis , quam
 externis, variis affectibus notis, multis etiam adhuc i-
 gnotis, & nullis nominibus insignitis, corripi, ac illorum
 functio, seu usus, multiplici modo, vel imminui, vel de-
 pravari, vel aboleri potest. Ex quibus quoddam exem-
 plum, & quidem visus insigniter imminuti, jamjam ad
 abolitionem vergentis, ab autoribus ophthalmiæ dictæ,
 in præsenti exercitio inaugurali tibi proposui , quod,
 dum castra secutus, vidi, ac quomodo primum sympto-
 mata ex illegitima tractatione exacerbata redditæ sint,
 postmodum vero, curatione ac emendatione juxta sa-
 niora medicinæ fundamenta instituta, symptomata hæc
 gravia successive decreverint, & sic ægrotus, antea jam
 pusillanimis redditus, maximo cum gaudio, sine inge-
 ni remediiorum farragine, ac sæpius mutata probatione,
 variaque sæpe satis crudeli in hisce affectibus, juxta me-
 thodum satis artificialem, ab autoribus aliquando profi-
 cuam observatam, tractatione in integrum fuerit resti-
 tutus. Fauxit vero DEUS T. O. M. ut cœpta mea ver-
 gant in sui gloriam, proximi commodum ac propriam
 salutem. Tu vero, si quædam inveneris, minus adæ-
 quate proposita ac elaborata, ignoscas, quæso , a quo a-
 nimò meæ tenuitati, ac cum nemo in hoc universo per-
 fectus sit, cogites nec me privilegium de non errando
 possidere. Interim mihi fave, & Vale.

CASUS.

CASUS.

Milles 24. annorum, constitutione biliosa, & per consequens temperamento magis accelerato præditus, vigilias agens tempore nocturno, & quidem aere pluvioso ac ventoso existente, post aliquod temporis spatiū sentit dolorem ac calorem in oculo dextro, postmodum ruborem, inflammationem, ac lacrymarum crebram profusionem, medelam quærens tractatur collyriis, constantibus ex aquis odoratis & sapidis v. g. sceniculi, serpilli, euphrasiæ &c. cum nitrofis ac salibus adstringentibus v. g. sacharo saturni &c. ac terreis partibus, simul etiam evanescatur purgantibus; hisce vero nihil proficiens in purgantibus additur stimulus mercurialis, attamen invanum adhibentur, calor enim, dolor, rubedo ac inflammatio insigniter augentur, accedebant lemæ, tunica adnata, quæ alias alba exsiftit, inelevabatur, ac rubra, inassæ carnis similis, conspiciebatur, visus autem adeo erat imminutus, ut oculum diurno tempore non aperire, ac aperto nihil prorsus cernere potuerit, usque dum sequenti modo, & sequentibus remediis sanitati pristinæ fuerit restitutus.

RESOLUTIO.

§. I.

Hicce affectus, quo præsens ægrotus laborat, nominatur ophthalmia; cuius etymologiam, cum parum utilitatis præbeat, hic non tractabo, sed

A 3

potius

potius ad conceptum, qui ad medicam disciplinam pertinet, & ex quo postmodum resolutio morbi fluit, me accingam. Describitur autem ophthalmia ab auctoribus, quod in ea inflammatio, dolor, rubor oculorum ac lacrymarum profusio inveniatur. Ex hisce patet, quod formalitas, iuxta autores, in inflammatione constat; cum vero hæc tantummodo symptoma sit, formalitatem non constituit, sed affectus primarius potius est intumescentia seu tumor, quod in §. VI. clarius, iuxta modum fiendi, demonstratum dabo.

§. II.

Partes affectæ in hoc affectu sunt tunica adnata, seu album oculi, ac glandulæ lacrymales, & pro hac differentia partis affectæ ophthalmia inter se differt, ac dispescitur in humidam, & sicciam. Humida erit, si simul cum tunica adnata & glandulæ lacrymales afficiuntur, & stimulantur, serumque nimium excernunt, unde & hæc species cum epiphora, seu lacrymarum profusione conjuncta: secca vero, si hæ glandulæ à lymphâ in iisdem stagnante corripiuntur, aut orificia eorundem plane obstructa sunt.

§. III.

Pro differentia autem subjectorum & eorundem temperamentorum hæc ophthalmia quoque variat, in temperamentis enim retardatis, seu ubi viscidiores humores, i. e. partes terreæ cum aquofis inter se conge latæ, salibus ac principio activo sentiente, i. e. spiritibus animalibus, magis magisque destitutæ inveniuntur, symptomata leviora aderunt, & quidem dolor, sed tantummodo premens ac gravatus, aliquando cum lacryma-

crymarum profusione, attamen vix aut plane insensi-
bili. E contrario in temperamentis magis acceleratis
i. e. ubi major acrimonia juxta autores, seu partes sali-
næ cum sulphureis, terreis ac lapidosis diversimode in-
ter se mixtæ reperiuntur, & per consequens major mo-
tus acceleratus spirituum animalium adest, symptomata
ta longe graviora, ut calor, inflammatio, dolor acutus
& pungens &c. in oculis inveniuntur.

§. IV.

Et sic res quoque comparata est in præsenti ægro:
signa enim seu symptomata ibi graviora reperiuntur
scil. dolor pungens, rubedo ac inflammatio ingens, si-
mul cum lemis conjuncta. Ergo & hocce subiectum
temperamento magis accelerato præditum est, & con-
sequenter insignem quantitatem sic dictæ acrimoniæ
possidet. Modum igitur fiendi hujus ophthalmiæ in
præsenti ægro, juxta causarum modum agendi, sic mihi
concipio: Nempe causa procatarrheticæ seu primitivæ
sunt 6. res dictæ N. N. quæ omnia, si legitimo modo
hisce utimur, ad conservationem nostræ naturæ ten-
dunt, quando vero illegitime adhibentur, successive
massam sanguineam corrumpunt ac magis magisque
acrem efficiunt, præcipue cibi nimis saliti, ac aromati-
zati, potus spirituofiores &c. per ingens temporis spa-
tium semper continuati, ex quibus tandem ultimato
commisso error causæ occasionalis nomen obtinet,
quæ in nostro ægro aer frigidus ac pluviosus fuit,

§. V.

Cum autem hæc causa occasionalis, scil. aer fri-
gidior, tanquam corpus naturale immediate agat in
nostrum

nostrum principium activum sentiens, seu spiritus animales, substantiam eorundem imminuendo, & sic particularem defectum spirituum introducendo; hicce defectus spirituum particularis constituit ophthalmia causam antecedentem, ex quo defectu postmodum sanguis in vasibus sanguiferis, & lympha lacrymalis in glandulis ad stagnationem disposita est, tanquam causa proxima hujus intumescentiae, quam autores sub nomine staleos humorum exprimere solent, & sic morbus primarius est conformatiois pravae, & quidem in magnitudine intumescentia seu tumor.

S. VI.

Quia vero haec lympha atque sanguis particulis salinis ac sulphureis, majori in quantitate, in praesenti subiecto praeditus fuerit: salia haec se in poros substantiae oculum constituentis insinuarunt, praincipue in tunicam adnatam, ac glandulas lacrymales, nec non in tunicam glandulosam oculi orbitam cingentem, ibidemque majorem motum spirituum animalium acceleratum introduxerunt, hinc symptomata huncce morbum concomitantia, nempe dolor ac spasmus: & si hincce motus spirituum animalium acceleratur, &, spiritibus vitalibus in sanguine communicatur, in specie oriuntur inflammatio. Hinc & aliter res comparata est ratione causarum in quibusdam symptomatis, ad hancce ophthalmiam constituendam occurrentibus.

S. VII.

Quia vero hic omnes symptomatum species occurunt, singula seorsim pertractabo; nempe symptomata actionis laesae, est visus imminentius, cum autem visus sit

sit sensus, & omnium sensuum, a causis internis depravatorum, formalitas in vitio aliquo spirituum consistat: & hujus causa proxima est vitium spirituum, & quidem in praesenti subjecto motus tam animalium, quam vitalium progressivus, & aliquali modo intestinus acceleratus: cauia vero antecedens vitium humorum, & quidem, iuxta autores, acrimonia biliosa. Symptoma qualitatis immutatae est rubedo, si scil. tunica adnata, quae ante alba, & paucissimis ramificationibus sanguiferis sensibilibus interspersa, naturalem colorem amittit, dum sanguis in eadem stagnat, & propter continuum afflum vascula maximopere extendit, sic primum rubicunda, postmodum autem a majori distensione vasorum subtilissimorum massæ carnis similis, i. e. in totum rubra evadit.

§. VIII.

Symptoma excretionis adauctæ est lacrymarum profusio, quæ alias epiphora seu illachrymatio nuncupatur, quando salia acria scil. glandulas lacrymales, & subcutaneas in tunica glandulosa, orbitam cingente, spiritibus repletas, lympham secernentes ac continentibus, stimulant, ut major affluxus lymphæ ad easdem concitetur, illæque postmodum eandem copiosius dimittant, quam par est. Symptoma excretionis imminutæ sunt lemæ, quando scil. huic lymphæ, magis minusve acria seu salibus prædictæ, etiam partes terreæ, pauca lapidosa, & in hoc subjecto etiam partes sulphureæ, admixtæ sunt, tunc inter dormiendum a salibus, margines claviformum palpebrarum stimulantibus, motus spirituum acceleratus ibidem concitat, qui particulas fluidiores

B aquo-

aquofas expellit, ac reliquæ interim congregatæ remanentes, in tantum spissiores evadunt, & ad instar glutinofæ materiæ, nimio calore exsiccatæ, palpebras clautas servant,

§. IX.

Tandem symptomata urgentia in præsenti ægro sunt dolor, calor, ac inflammatio; cum enim nostra sensatio in regulari motu spirituum animalium progressivo ac intestino consistat; sic præternaturalis, i. e. dolor, ex motu eorundem magis accelerato oritur. Ergo formalitas, & causa proxima hujus doloris sunt spiritus, & quidem in motu summe accelerato progressivo, ac aliquali modo intestino constituti, ob causam antecedentem, nempe vitium humorum magis minus-ve partibus salinis ac sulphureis præditorum, quæ salia à sulphureis magis acuta hisce humoribus inhærentia, sese in poros fibrarum flexilium insinuarunt, ibidemque motum spirituum insitum ac influum, propter spicula sua acceleratum reddiderunt, qui, ut sese ab hac causa molesta liberent, majori in quantitate affluxerunt, fibras hasce ferme ad lacerationem usque extenderunt, ac distenderunt, & sic ingratam sensationem i. e. dolorem introduxerunt.

§. X.

Ex hoc dolore, ut symptomata symptomatum, sequuta sunt calor & rubedo, cuius rubedinis modum fiendi in antecedentibus §. VII. sub nomine symptomatis qualitatis immutatae descripti; calor autem præternaturalis, ex hoc dolore resultans, itidem causam proximam vitium spirituum, & quidem motum eorundem summe

me acceleratum. Causam vero antecedentem hocce acre vitium humorum agnoscit. Inflammationis vero, tanquam symptomatis urgentis, modus fiendi sic se habet: nempe gradu intensiore tantum a dolore ac calore differt; causa enim proxima est motus spirituum, non solum progressivus, sed & intestinus, majori in gradu acceleratus redditus, tam vitalium in sanguine, quam animalium in ipsa substantia partis læsæ, adeo, ut sanguis ferme ad resolutionem disponatur; causa vero antecedens sanguis acrior in parte affecta stagnans.

§. XI.

De prognosi nunc adhuc quædam adjicienda sunt, & hæc pro diversitate symptomatum concurrentium, magisque urgentium variat. Si enim mitiora sunt, & illegitime tractantur, affectus quidem per longum temporis spatium retineri poterit, eventus vero, & finis non adeo molestus erit, quam si symptomata magis urgentia adsuerint, ut dolor, calor, inflamatio insignis, & lacrymarum effluxus salinus & acris, hæc enim, nisi legitime tractantur & mitigantur, a lacrymarum effluxu palpebræ facile erodi possunt, ac tunica cornea tumefacta, & obscurior redita, functionem abolitam introducere capax est, maximo cum opprobrio curantis, & detimento ægrotorum.

§. XII.

Nunc me ad therapiam, & quidem primo generalem accingam, i.e. ad formationem indicantium, indicationum, & indicatorum. Quæ, si juxta autores instituerentur, quadruplicis generis essent, nempe primo, indicans præservatorium, quod à causis morbo-

rum desumunt, secundo, indicans curatorium, quod ab ipso morbo petunt, tertio, indicans mitigatorium, seu symptomaticum, quod symptomata præfertim urgentia suppeditant, & tandem quarto conservatorium, à viribus ægroti desumptum. Ex hisce nunc indicantibus quatuor quoque indicationes eruuntur, videlicet alia præservatoria, alia curatoria, alia mitigatoria, ac tandem vitalis, seu conservatoria. Hasce indicationes sic dictis indicatis seu remediis absolvunt, quæ ex triplici fonte, nempe pharmaceutico, diætetico, ac chirurgico desumunt.

§. XIII.

Insufficienter autem hæc indicantia ac indicationes deducuntur sunt. Videlicet indicans curatorium à morbo desumptum, non nisi empiricum est, quia nuda tantummodo nominalis indicatio exinde fluit. v. gr. febris indicat antifebrilia, hydrops antihydropica, ac ophthalmia, ophthalmica &c. si vero quis libros autorum introspicit, adeo varia reperiet sub nomine horum indicatorum v. g. aliquando aquosa, terrea, lapidosa, salina, ac anodyna proficia fuisse, quæ certe non ex specifica, ac appropriata virtute, sed potius ob diversitatem causarum hosce morbos constituentium, hasce operationes ediderunt.

§. XIV.

Deinde indicans mitigatorium, quamvis & à symptomatibus urgentibus desumptum sit, pariter nihil novi aut singulare quid indicat, sed etiam, prout antecedens curatorium, nominalm indicationem, juxta autores, suppeditat, v. g. dolor sistendus, calor mitigandus &c.

&c. uti, & indicans vitale seu conservatorium à viribus
ægroti desumptum, quod non ex ipso indicante præser-
vatorio simul fluat, si modo hocce indicans non adeo
promiscue ex quibusvis causis morbificis desumeretur,
sed potius juxta causarum diversitatem institueretur,
tunc facile appareret, quomodo & indicans præserva-
torium, & curatorium, & mitigatorium, ac conserva-
torium ex solis morborum causis commode, & suffici-
enter erui possit.

§. XV.

Videlicet causa morbi proxima ac antecedens
semper vere curatorie indicant, siquidem emendatis
vitiis humorum ac spirituum, morbosā constitutio uti-
que sublata est, in morbis vere internis, i. e. qui a cau-
sis internis immediate proveniunt. Porro cum omnia
symptomata easdem agnoscant causas internas, saltem
inverso ordine in quibusdam, & præcipue urgentia pro-
causa proxima semper habeant aliquod vitium spiritu-
um, etiam hoc respectu indicatio mitigatoria à causa
morbi interna indicabitur. Imo, cum defectus & de-
bilitas virium sit vitium spirituum, & hac ratione cau-
sa morborum interna indicabit indicans conservatori-
um seu vitale, nempe, quod vires non amplius destru-
enda, sed potius fint conservandæ. Tandem indicans
præsutoriorum pariter desumitur ex causis, sed tantum
procatarctis, & occasionalibus dictis, videlicet, ex
regimine sex rerum nec naturalium, seu diæta legiti-
me instituenda, ne ægrotus circa hasce res antea com-
missos diutius continuet errores, & exinde vel causa

proxima, vel antecedens morbi foveatur, ac magis exacerbetur,

§. XVI.

Igitur juxta hancce methodum therapevticam generalem specialis cura hujus ægroti absolvi debuisset ex triplici fonte, nempe pharmacevtico, diætetico, & aliquali modo chirurgico: videlicet causam proximam hujus ophthalmiaæ, & quidem intumescentiæ, ut morbi, nominavi humores acres, seu ex salibus acidis ac partibus sulphureis constantes, i.e. sanguinem, ac lympham stagnantem, ut indicans. Exinde talis fluit indicatio: humores acres stagnantes, pro conditione sua, sunt temperandi, ad fluorem redigendi, & eliminandi: quæ absolvitur sic dictis indicatis seu remediis hurtiores temperantibus, ad fluorem redigentibus, & eliminantibus, qualia sunt terrea, lapidoſa, aquoſa, leniora ſalina, & laxantia.

§. XVII.

Causa vero antecedens erat defectus spirituum particularis, ut indicans, circa hancce partem affectam i. e. oculum contingens, ex quo hæc fluit indicatio: defectus particularis spirituum est restituendus; & postea indicatum: remediis particularem defectum spirituum restituentibus, qualia sunt iterum lenissima ſalina cum sulphureis, & ad meliorem operationem efficiendam aquosis calidis mixta, quia, juxta canonem chymicum, ſalia non agunt, niſi soluta.

§. XVIII.

Et sic cura institui debuisset, si ab initio statim morbo occurrentum fuisset; quia vero symptomata magis

magis urgentia acciderunt, quæ morbum magis exacerbatum reddiderunt, & non diu sine insigni functione læsa, i. e. visu læso vel plane abolito, ægrotum detinuissent; ideo medicum postremo advenientem ab ordinaria cura avocarunt, ut primum hisce symptomatibus magis urgentibus, nempe dolori, calorri, ac inflammationi, remediis tam internis quam, externis prospiceret, & postmodum curam magis generalem, i. e. ad vitium speciale humorum, in toto corpore abundans, emendandum, institueret.

§. XIX.

Nominavi autem horum symptomatum urgentium causam proximam motum spirituum summe acceleratum, ut indicans, ex quo indicatio secuta est; motus spirituum summe acceleratus est compescendum, & indicatum; remediis motum spirituum summe acceleratum compescentibus, qualia unice sunt anodyna. Causa antecedens vero sunt humores acres, ut indicans, ex quo in antecedentibus nominata indicatio fluit: nempe humores acres esse temperandos, & eliminandos, & indicatum; remediis acres humores temperantibus, ac eliminantibus, qualia sunt terrea, gelatina, glutinosa, ac leniter laxantia.

§. XX.

Quia vero pars affecta externa est, & hæc quidem non speciale quid, sed tantummodo modum applicandi remedia, ac gradualem differentiam eorumdem indicet, ideo, & hisce internis, externa combinatione debuerunt, juxta eandem causarum internarum diversitatem. Ex qua ratione sequens collyrium fuit instilla-

stillatum, ac linteae eodem madefacta saepius de die reiterata, praesertim circa noctem, oculo fuerunt imposita ac applicata:

Rec. Aquæ papav. err.

rosar. alb. ana unc. jff.

tut. ppt.

lap. scissil. ppt. ana semi dr.

croc. or. gr. 10.

M. D. ad vitr. s. Augen-Wasser/ umgerührt öfters davon ins Auge zu thun.

§. XXI.

Interne autem ad vitium humorum, nempe aerimoniam biliosam temperandam, & motum spirituum acceleratum aliquali modo compescendum, simul respiciamus, formula sequens in forma pulveris fuit praescripta:

Rec. C. C. ust. ppt. dr. 3.

corall. r. ppt. dr. 2.

matr. perlar. ppt.

arcan. dupl. ana semi dr.

extr. opii cydon. Langel. gr. 3.

M. div. in 8. p. æ. s. Pulver eins davon des Morgens / das andre Nachmittags zu nehmen.

§. XXII.

Quia vero ordinarie circa noctem omnia symptomata exacerbantur, ideo sequens formula, ad motum spirituum acceleratum, tanquam causam proximam horum symptomatum maximopere respiciens, in usum fuit tracta:

Rec.

Rec. Ess. fumar. dr. 3.

opii cydon. Langel. dr. x.

m. d. ad vitr. s. Essentz 40. Tropfen des Abends
bey schlafengehen zu nehmen,

§. XXIII.

Hicce per 3. dies , simul cum inferius nominato
infuso , continuatis , necessarium fuit , ut primæ viæ ali-
quali modo repurgentur , ac affluxus humorum eo de-
rivetur ; quia vero bilis acrior commota facile nova
symptomata circa alias partes excitare potest : ideo se-
quens laxans, sub forma fluida, ex alterantibus , & laxan-
tibus ac anodynus constans , fuit adhibitum , quod ter
quaterve dejectiones alvinas introduxit .

Rec. Rad. liquirit.

polypod. quern.

jalapp. ana dr. 3.

Herb. plantag.

malvæ, ana 1. manip.

Coque in sufficienti quantitate aquæ simpl. sub fi-
nem coctionis adde,

fol. S. S. S. dr. 3.

fl. papav. err. p. 3.

paff. min. semiunc.

Ebullient. Colat. unc. 8. d. ad vitr. s. Laxier-Tränke
lein auf 2. mahl.

altera portio post duos dies fuit reiterata , interim die-
bus intercalaribus usū pulveris , guttularum , ac infusi
fuit continuatum . Ad lemas vero seu fordes abster-
gendas & salia diluenda , in hac conglutinatione palpe-
brarum , quæ satis tenax erat , lac calidum fuit applica-
tum .

C

§. XXIV.

§. XXIV.

Post usum horum medicamentorum symptoma-
ta, ingenti cum gaudio ægroti, fuerunt mitigata, nempe
dolor, calor ac inflammatio succesive evanuerunt, in
tunica adnata, quæ primum massæ carnis similis, i. e.
in totum rubra, color primum pallidus, postmodum &
albus conspiciebatur, sanguis vero in eadem antea sta-
gnans ad majora vasa sanguifera se recepit, ita, ut hæc
insigniter tumida ac dilatata reperirentur, quæ tamen
postmodum minora succesive evaserunt. Ideo ab usu
pulveris abstinentum fuit, & guttulæ minori in quanti-
tate, nimirum primum ad guttulas 30. postmodum 20.
adhibitæ sunt, usque dum in totum omittendas esse ex
declinatione symptomatum appareret.

§. XXV.

Remanebat autem symptomæ excretorum, nem-
pe lymphæ lacrymalis salinæ ac acris profusio, exinde
judicatum fuit M. S. universaliter hisce scatere debere
vitiis, exinde & illam emendandam, ac affluxum hu-
jus lymphæ acris aliorum, nempe ad publica magis
organæ excretoria, derivandum esse. Ad hancce indi-
cationem nunc instituendam sequens pulvis præcipi-
tans ordinatus fuit, de quo bis de die quantitatem ali-
quam assūmtere debuit.

Rec. C.C. uſt. ppt.

corall. r. ppt. ana dr. 3.

tungul. alc. ppt. dr. 1.

off. sep. ppt. semidr.

m. d. ad scat. f. Pulver davon des Tages 2. mahl
eine Messerspiße voll zu nehmen.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ad diluendam autem hanc acrimoniam biliosam sequens infusum, ex glutinantibus & temperantibus constans, loco thee, semihoram post pulverem assatum, de mane bibendum, fuit præscriptum:

Rec. Raf. L. safflfr. semiunc.

rad. liquirit.

polypod. quern, ana dr. 3.

alth. dr. 2.

herb. heder. terr. manip. 2.

fumariæ.

hepat. nobil.

fl. papav. errat. ana manip. 1.

viol. purpur. p. 2.

cort. aur. rec. dr. 3.

Sem. Anis. stell. dr. 1.

Incis. & contus. D. S. species gum Thee.

§. XXVII.

Hicce per duos dies continuatis laxans sequens, ad majorem affluxum lymphæ ad stomachum & intestina concitandum, tertia die de mane fuit exhibitum, quod iterum alvum tribus vicibus laxam reddidit:

Rec. Oc. 69. ppt. 1. scrup.

scammon. sulphurat. gr. 6.

arcan. dupl. gr. 10.

m. d. i. Purgier-Pulver auf 1. mahl.

§. XXVIII.

Sequentibus diebus iterum pulvere antea nomina-
to ac infuso est usus, postmodum & laxans reiteratum
ter quaterve fuit. Externe vero collyrium fuit immu-
tatum, ac quia symptomata mitigata observabantur, a-
nodynnum omissum est, & loco antecedentis sequens
fuit præscriptum, ac applicatum:

Rec.

Rec. aquæ scenicul.

fl. cyan. ana unc. I.

lap scissil. ppt.

calaminar. ppt. ana semidr.

m. d. ad vitr. f. Augen-Wasser.

§. XXIX.

Ex fonte diætetico indicans, & indicatio præservatoria defumpta est pariter ex causis, sed procatareticis, & occasionalibus, nempe ex 6. rebus N. N. primum intermittenendo, scilicet fugiendo aerem frigidum, cibos salitos, & potum spirituosiorem, nimium motum, ac præcipue pathemata animi vehementiora; postmodum hic fons & curatorie aliquali modo inservire potest ac debuit, nempe faciendo, & admittendo, quæ virtuosos humores ac spiritus emendare valent, nempe aerem magis temperatum, assumendo cibos glutinosos ac gelatinosos, potum vero magis dilutum, ac bene defecatum. Tandem si quis applicationem linteorum collyrio mædefactorum, ac deligationem oculi, sub nomine remediorum ex fonte chirurgico defumtorum, comprehendere ac explicare velit, haud graviter errabit, quia hæc deligatione aliis in morbis externis ex hoc fonte specialiter indicatur.

§ XXX.

Sic postmodum omnia symptomata in totum cessarunt, & functio magnopere imminuta i. e. visus imminutus, fuit emendatus, ut postea modo pristino seu naturali eundem instituere potuerit. Oculus vero albedinem suam exiliissimis ramificationibus sanguiferis interspersam, recuperavit, major etiam effluxu lymphæ lacrymalis simul cessante, ægrotus enarratis remedii, ex legitimis indicantibus ac indicationibus fluentibus, in integrum fuit restitutus, & sic gravis hujus ophthalmiæ inductus fuit

F I N I S.

Ma 1683

f




56.

Rest / Schm

Jan. 26







6.

DISSE^RTAT^O IN^AUGURALIS MEDICA,
EXHIBENS

**CASUM
ÆGRI
OPHTHALMIA
LABORANTIS,**

Quam,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP^E AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
PRINCIP^E PORVSSLÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, ET RELIQUA,
PRÆSIDE
FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h.t. DECANO,
PRO DOCTORIS GRADU
publice defendet
JOACHIM. FRIDER. WIEDEBURG,
Berol. March.
AUTOR ET RESPONDENS
Ad diem Maji An. M DCC XVII.
H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.